



1711.

20^o = Thomasius, Christianus : De vera origine, natura, progressu,
et iustitia iudiciorum Westphaliorum. 2 Band. 1711 & 1732

21^o = Thomasius, Christianus : De occasione, conceptione et iustificatione
cunctis delictis Criminibus Civilibus. 4 Band. 1711, 1718, 1731 & 1739.

22^o, b. = Thomasius, Christianus : De non recipiendo contractu & con-
iunctione ab metu spectaculo. 2 Band. 1716 & 1732

22^o = Thomasius, Christianus : De non recipiendo contractu con-
iunctione ab metu spectaculo.

23^o, b. = Thomasius, Christianus : De non practice distinctionis
hominum in iugis et statutis. 3 Band.

24^o, b. = Thomasius, Christianus : De non practice distinctionis
hominum in literis et scris

25^o, b. = Thomasius, Christianus : De origine processus iugitiorum
2 Band. 1724 & 1729.

25^o = Thomasius, Christianus : De origine processus iugitiorum
1735.

B. 18. num. 54. 2. N. 4929.
Q. F. F. S. 1711
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

NON RESCIN- DENDO CONTRACTU CONDUCTIONIS OB METUM SPECTRORUM,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, ET DUCAT. MAGDEB. GUBERNATORE,
&c. &c.

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO,
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BORUSSIÆ CONSILIA-
RIO INTIMO, UNIVERSITATIS FRIDERICIANÆ DIRECTO-
RE AC PROFESSORE PRIMARIO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDI-
NARIO, ET h. t. DECANO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES OBTINENDI,
IN ALMA FRIDERICIANA,

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante & pomeridianis d. 10. April. MDCCXI.

Publico Eruditorum examini submittit

JACOB IMMANUEL HAMILTON,

POMERANUS.


RECUSA: HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI MENCKELII, Acad. Typogr. 1725.





DISSERTATIO INAUGURALIS
DE NON RESCINDENDO
CONTRACTU CONDUCTIONIS
OB METUM SPECTRORUM.

§. I.



Nte omnia videndum de quæ-
stione præjudiciali, an sint spectra:
Ubi prima cautio, ne quis præcipi-
tanter eos, qui de existentia spe-
rrorum dubitant aut eam negant,
atheismi & impietatis arguat, cum
etiam viri pii & probi omnibus
temporibus, maximè autem post
oratum lucem Evangelii fuerint, qui non absqueratio-
nibus in hanc sententiam inclinaverunt. (a)

(a) Cum propositum non sit, cum quoquam velle inde-
center rixari, & tempus non superfit, plures autores,
qui de spectris scripserunt evolvere, credo mihi à ne-
mine vitio verti posse, quod potissimum operam datu-
rus sim, ut in testimonium adducam Ludovicum Lava-

A terum

terum, Theologum Tigurinum eximium, in primis cum
hic in tractatu despectris maximoperè operam dederit,
ut sententiam de existentia spectrorum, quantum fieri
potest, multis argumentis corroboraret. Ita vero ille
statim in præfatione. *Multi*, inquit, *qui nihil harum*
rerum unquam vel viderunt vel audierunt, putant
omnia, quæ de iis dicuntur, esse meras nugas & aniles fa-
bulas; homines enim simplices, item timidos, & super-
stiosos sibi ipsos persuadere, quod h.ec vel illa viderint
& audierint, cum res longè aliter se habeat. Edi-
verso sunt alii, qui, cum primum aliquid audient, noctu
presertim, statim existimant, spectrum aliquod vagari,
magnamque animo molestiam capiunt, eò quod res
physicas à spectris non possint secernere. *Quidam* vero,
principue illi, qui ex animabus defunctorum lucrum ve-
niantur, dicunt, pleraque, quæ audiuntur & conspicuntur,
animas esse mortuorum, opem à viventibus peten-
tes, ut e cruciatiū maximorum dolorum Purgatoriū li-
berentur. *Multi* non plebejū solum homines, sed etiam
EXCELLENTE^S viri, mirantur, an sint spectra, &
quidnam sint. Et adhuc clariss part. I. cap. 2. p. 8. Com-
plures fuerunt omnibus temporibus, qui negarunt spi-
ritus aut spectra existere. Epicurei, quæ de illis refe-
runtur, omnia riserunt, & profigmentis ludibriisque
habuerunt, quibus pueri & imperii atque simplices ho-
mines terrorerentur &c. Hodie quoque die multi PII,
& BONI VIRI illa, quæ despectris ultro citroque di-
cuntur, fabularum loco habent, parvum quod toto vite
tempore nulla eis apparuerunt, parvum & principue,
quod superioribus aliquot seculis homines, confidis ap-
paritionibus, visionibus & miraculis, à Monachis & Sa-
cristicibus toties decepti sunt, ut nunc vera quoque profal-
les habeant.

§. II.

§ II.

Deinde etiam opera danda, ut, antequam de quæ-
stione hac præjudiciale sententiam nostram aperiamus, (b)
declaremus, quid nomine spectrorum intelligamus. (b)
Ubi missis sententiis variis Ethnicorum Philosophorum
de spectrorum definitione (c) supponimus, eos, qui spe-
ctrorum existentiam hodie inter Christianos adstruunt,
per spectra intelligere substantias incorporeas, quæ con-
spectæ vel auditæ, vel tactu etiam perceptæ, hominibus
terorem inferunt. (d) Utrum vero haæ substantiaæ incor-
poreæ sint animæ defunctorum, an angeli aut dæmones,
ad nostrum scopum quidem id non pertinet, sed ea dis-
quisitio Dominis Theologis est relinquenda.(e)

(b) Ne scilicet conceptu vago & confuso inepti fiamus ad
observandas leges bonaæ disputationis. Unde mallem,
ut ipse Lavaterus part. i. c. i, non collegisset tam varia
& piversa, lectores magis confundentia, quam erudien-
tia pe viso, visione, terriculamento, phantasmate, pha-
ntmate, pneumate, Laribus, Præstitibus, Hostiliis, Geni-
is, Penatibus, umbris, Lemuribus, Maniis, Lamiis, Stri-
gibus, Gorgonibus, incubis, succubis, Empulis, Fau-
nis, Satyris, Silenis, Onocentauris, Harpyis, Syreni-
bus & aliis infinitis. Quamvis aliquo modo excusatio-
nem mereatur, cum titulus librion solum de spectris
loquatur, sed & de Lemuribus, & maguis, atqne info-
litis fragoribus, variisque præfigitionibus &c.

(c) Quidam ex philosophis spectra appellabant species vi-
sibiles, & quæ nos spectra vocamus, dicebantur ab iis
Phantasma Gellius l. 5. c. 16. Stoici caussas videndi di-
cunt radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt, emissi-
onem, aerisque simul intentionem. Epicurus autem affue-
re semper ex omnibus corporibus simulacra quedam cor-

4. DISSERT. INAUGURAL. DE NON RESCIND. CONTRACTU

porum ipsorum, eaque sese in oculos inferre atque ita fieri sensum videndi putat. Cicero l. 15. Epist. 16. Quae Epicurus & Democritus ἀδωλα, Catinus Epicurens spectra dixit. Scilicet, ut Cassendus explicat ad lib. 10. Laertii p. m. 129. species seu formas visibiles, sensibiles, intentionales, quas Cicero imagines, Quintilianus figuratas, Lucretius simulacula dixit. Plutarchus de placitis philos. l. 4. c. 14 ea explicat de speciebus visibilibus in speculo. Phantasmata autem vocat ibidem c. 12. quibus rapimur Phantastico & inani attracta. Hæc offeruntur Melancholicis & furiosis.

(d) Lavaterus l. 1. c. 1. p. 1. Theologi accipiunt (spectrum) pro substantia incorporea, que conspectu vel auditu hominibus terrorem infert. Nos addidimus sensum talis, cum multa narrentur de spectris nec visis, nec auditis, sed tactu perceptis. Confer Lauaterum part. l. c. 4. p. 18.

(e) Gentiles enim, item Judei noviores, item Turcae crediderunt ac credunt, animas quasdam errare, & subinde hominibus apparere. Lavaterus part. 2. c. 1. Pontifici etiam docent, animas in inferno & purgatorio existentes quandoque apparere, atque Laicos instruunt, quomodo circa tales animas se gerere debeant, item docent, esse bonum opus, animas liberare. Id ibid. cap. 2. Quisnam sit scopus & effectus huius doctrinæ, docet c. 3. & postea falsitatem eius prolixius ostendit capite 4. & seq. per argumenta Theologica inculcans, quod spectra sint angeli mali, rarissime boni, nequaquam vero animæ mortuorum.

§. III.

Rationes igitur, quibus utuntur, qui spectra negant, potissimum ad duas classes referri queunt, vel enim factum respiciunt, vel causas facti. Quoad primam classem

Rationes ev-
rum, qui
spectra ne-
gant.

classem non dissententur ipsi dissentientes, quod sepius homines, qui putarunt spectra sibi apparuisse, fuerint decepti a seipsis, saepissime vero ab aliis hominibus. (f) Quoad secundam classem utriusque deceptionis (g) variæ causæ esse possunt ac solent, tam naturales quam morales, puta melancholia, furor, meticulositas, imbecillitas visus & auditus, pertinacia, amor, odium, otium, invidia, avaritia, ambitio, lascivia, libido, cupiditas allos irridendi, furandi, supersticio &c. (h)

(f) Sic Lavaterus *part. I. c. 2.* variis exemplis declarat, melancholicos & furiosos multa sibi imaginari, quæ revera non sunt, quorum etiam refert Lycantropiam & Hydrophobiam, item Ephialtem. In *capite 3.* probat, meticulosos homines fingere, se spectra videre & audire, in primis mulieres & pueros. In *capite 4.* ostendit, quod illi, qui imbecilli visu & auditu sunt, sibi multa imaginentur, quæ revera non sunt, item Ebrios multa videre quæ non sunt, quosdam videre seipso, maximas item deceptions oriri, si metus & imbecillitas visus a liorumque sensuum concurrant. In *capite 5.* transit ad eos, qui alias terrent, ut putent se spectra vidisse vel audisse, v.g. juvenes hilares & jocosos, vestes quibus diabolum referant, induentes, scorta, scortatores, fures. *Capite 11.* recenset varias res physicas, vulgo pro spectra habitas, puta animalia, mures, cartos, onocrotalos, canes, &c. Item echo, noctilucentia, lucernas ardentes, exhalationes, res in speculis opticis visas &c.

(g) Ita v.g. meticulositas causa non solum est, ut ipsi nos decipiamus, sed etiam ut decipiamus alios, quemadmodum oscitante uno oscitat & alter. Ita pertinacia & pretensa in fallibilitas, aut pudor intempestivus errorem confundi, non solum nos impellit, ut alios stu-

6 DISSERT. INAUG. DE NON RESCINDENDO CONTRACTU

dio decipiamus, sed etiam videmus quotidie homines tali pertinacia præditos, a seipsis decipi, ut credant se talia videre, quæ non vident. Quamvis ista applicatio non possit fieri in omnibus caussis, sed ex illis quædam magis pertineant ad deceptions proprias, ut v.g. imbecillitas visus, quædam ad deceptions aliorum, ut cupiditas furandi, scortandi &c.

(h) Vide Lavateri capita modo lit. f. recensita. Potissimum autem hoc pertinet sap. 10. part. I. cuius rubrica est: *mirum non esse, quod olim false apparitiones factæ sint, neque mirum esse, si hodie quoque fiant, ubi ipse lequentes causas, avaritiam, invidiam, otium, amorem &c. recenseret, quod hæ præ reliquis hominum generibus eos, qui in monasteriis & collegiis degunt, ad finienda spectra irritent.*

§. IV,

*Fraudes
multæ sa-
cerdotum
apud Gentil-
es & Clerici
Pontificij
hic interve-
niunt,*
In primis autem tam Gentilium sacerdotes, quam apud Christianos Clerus Pontificius varias caussas habuerunt, fictione spectrorum decipiendi Laicos, aut a lios incautos, atque illis inanem metum incutiendi; Pontissimæ caussæ fuerunt, expletio teatralibidinis, opum & gloriæ acquisitio, persuasio variorum errorum, qui si a Laicis crederentur, augebant honores & dvitias Cleri &c. (i)

(i) Lavaterus part. I. c. 6. p. 22. *His accedit, quod omnibus seculis aliqui sacerdotes extiterunt, qui res miras exercentes, & magicis artibus operam dantes, stultos homines, qui illos maximi fecerunt, variis modis dementabant, ut magnam vim argenti colligerent, & voluptatis indulgerent. Ubi simul ex Josepho adducit historiam de Mundo, ope sacerdotum Ægyptiorum, sub fictio-*

fictione ac si Anubis esset, Paulinam nobilem foeminae stuprante, item ex Ruffini Historia Ecclesiastica, de Tyranno sacerdote Alexandrino, sub specie Saturni matronas plurimas comprimente. In cap. 7. ex Theodoro Lectore refert exemplum Timothei Æluri, itidem Alexandriae angelum mentientis, & sic ad Episcopatum evedi, item notam historiam de quatuor monachis ordinis prædicatorum, Bernæ initio seculi decimi septimi multas apparitiones fugentium, ad refutandos Franciscanos, immaculatam conceptionem virginis fingentes, & propterea crematos. Subiungit Lavaterus p. 34. Certum est, quod postquam illorum monachorum impietas, dolus & scelerus percrebuerunt, res Clericorum labe factiori cœperunt, & multis piis viris magis magisque suspecta esse, cum dixerant, hanc vel illam animam operis eorum expetiisse; cerevis sua sponte accensos fuisse: hanc vel illam imaginem locutam, lacrymatam esse, ab uno loco in alterum se movisse; hunc vel illam dicam monasteriorum ornasse pretiosiss reliquiis: cruces sanguine Christi conpersas esse: eis confirmationem pontificum super his rebus impetrarint, tamen multi deinceps noluerunt credere, remita se habere. Item, quod hic vel illi Sandus Pater in ecclasiæ incidentes res mirandas viderit; quod Franciscus & Catharina Senensis quinque vulnerum Christi stigmata in suo corpore gestarint. Ad hæc non immerito dubitari coepit de transsubstantiatione panis in corpus Christi, cum roties hostiam veneno inficerint. Item de illis, que de indulgentiis, vigiliis, ordinibus, purgatorio, aqua lustrali, satis facti unibus, pleno ore declamitarunt. Capite 8. ex Sleidano recenset ludum cruentum & funestum, à monachis Franciscanis Aureliae in Gallis 1534. inventum, in odium foeminae cuiusdam honesta, ideo quod testamento suo cauerat ut sine pompa & strepitu sepeliretur. In capite 9. varia exempla ex Stum-



DISSERT. INAUG. DE NON RESCINDENDO CONTRACTU

Stumpfio Parochi in Helvetia, sub specie beatæ virginis virgunculae simplici & superstitione apparentis, elque stuprum persuadentis, ex Roterodamo, alterius Parochi, spectrum fingentis, sed fuste probe dolati, item alterius, vivos cancros, quibus ad latus cereoli artentes affixi erant, in cemeterium noctis tempore immitentes, & bleberi decipientis, ac si de functorum animæ escent, quæ missis & eleemosynis flagitare è cruciatu liberari, & familia ex Buchanano & propria experientia narrat. In capite 10. p. 45. vero ostendit, nec ipsos Pontifices à fingendis ejusmodi apparitionibus & spectris immunes fuisse, exemplo Bonifaci octavi aliorumque. Et notanter dicit p. 44. Ad hæc Clerici (Pontificii) hanc quoque prærogativam habent, quod homines, præsertim superstitionis, eos summa obseruantia colant & diligunt: nemo putat, eos rebus malis, fraudibus & dolis studere: omnes expectant ab eis longè alia. Possunt igitur se rebus malis operam dent, facilè latere, nisi Deus malitiam eorum, mirabili indicio prodat, & in lucem prostrabit. Propius ad rem faciunt ea, quæ Parte 2. cap. 3. p. 105. dissert. His apparitionibus, missæ, simulacra, satisfactions, peregrinationes religionis ergo, reliquie sanctorum, vota monastica, feriae, auricularis confessio & alii cultus atque ceremoniae; breviter omnia, quæ ex scripturis sacris probari non potuerunt, magnam autoritatem paularium nocta fuit. Res eo deducta fuit, ut multi pii & simplices homines genium suum fraudarent, ut haberent, quibus otiosos monachos & sacerdotes alebrent, & que simulacris offerrent. Sacella, altaria, monasteria, perpetuos lychnos, anniversaria, fraternitates, & alia fundarant, ut suos ex tormentis purgatoriis redmererent. Hoc enim ut facerent, nocturni illi lemures jusserunt. Mutanda aliquando eorum hortana fuerunt testamenta. His rebus sacerdotes & manachi pao-

roccias, collegia & monasteria annuis redditibus valde
 auxerunt: optima prædia, vineas, agros, prata, vinaria,
 piscinas, mancipia, jurisdictiones, magna dominia &
 jus gladii sibi compararunt. Postquam enim homines
 firmiter crediderunt animas redire, plerique omnia fe-
 cerunt quæcumque ille postularunt. Hoc modo fe-
 stum omnium sanctorum & ordinem Carthusianorum
 ortum esse, simul perspicuè ostendit p. 106. seq. Parte
 3. cap. 4. p. 81. docet simile intereste sacerdotum Eth-
 nicorum, dum umbræ apparentes perierunt honestam se-
 pulcra, & ut justa funebria ac aliae ceremonie in eo-
 rum gratiam haberentur, unde cenotaphia nata esse. Se-
 ptimas, Tricesimas, Anniversaria sacra &c. Denique
 ead. part. 3. cap. 10. p. 200. adhuc alia observat hic per-
 tinentia; scilicet persuasum esse populo, ad pellenda
 spectra imprimis conferre, si quis oret Ave Maria. Ul-
 terius progreßi, inquit p. 202. aquam peculiaribus ce-
 remoniis exorcisarunt, & consecravit &c. hanc vim ei-
 tribuentis inter alia, quod pellat spectra & phanta-
 smata. Salem similiiter consecravunt & docuerunt, quo-
 cunque projiciatur, pellere spectra &c. Adhac lucer-
 nas, palmas, herbas & alias creaturas certis ceremoniis
 & verbis adjararunt, ad pellenda, ut vocant, phanta-
 smata. In loca illa, in quibus spectra vel visa vel au-
 dita sunt, & hec & alia, ut reliquias sanctorum, detu-
 lerunt. Affirmarunt etiam, campanas vel tintinnabula
 suo clangore diabolos ex aere pellere. Ceterum animæ
 illæ fistulis nihil petierunt tam obnoxie, quam ut fre-
 quentes missæ in eorum gratiam celebrarentur: illas e-
 nim ad redimendum eas ex purgatorio maximas & in-
 credibiles vires habere assertuerunt. Et p. 205. Audivi
 homines, qui proficiserentur, se tam superstitiones fuisse,
 ut cum sacerdos bosiam ut vocant, elevaret in celebra-
 tione missæ, statim manu vultum deterserint, quod cre-

derent ad hoc prodeesse, ut nulla spectra adspectabilis for-
ma illis essent occursera.

Rationes af-
firmantiam
spectra, non
omni exce-
ptione majo-
res.

Confirmavit eos, qui existentiam spectrorum ne-
garunt, quod viderent rationes, que pro eorum ex-
istentia proferuntur, ita esse comparatas, ut ex hypothesi
ipsorum dissentientium non pauca contra eas profert
haud absque verosimilitudine possint. Id quod doce-
bunt sequentia.

Scilicet (l)
provocatio
ad varias hi-
storias genti-
lium.

Dari spectra, probare voluerunt dissentientes ex
variis historiis gentilium. (l) Sed non deficit prioribus
exceptio, etiam historicos Gentilium potuisse bona fide
errare, uti errarunt hodiendum multi viri boni pontificii,
miracula falsa pro veris narrantes, (m) aut etiam ipsos
de quibus talia narrantur, vel fuisse deceptores, aut de-
ceptos. (n)

(l) Huc pertinet integrum *Caput 12. part. 1.* Lavateri, sci-
licet ex Svetonio, quod Triton Julio Cæsari apparu-
erit, ex Plutarcho, Theseum in pugna Marathonia vi-
sum, item de Brutis male genio, item ex Valerio Maxi-
mo, Dione Cassio, Plinio, Capitolini, Vopisco, Ammia-
no Marcellino, Lucano, plura exempla ibidem adducta.

(m) Ut taceam, que de historicorum Græcorum & Ro-
manorum quorundam fide, etiam in aliis suspecta, jam
ali narrarunt. Conf. diss. Dn. Präsidis de Fide Ju-
ridica c. 2. §. 12. 17. seqq. & in cautel. circa præcogn. Ju-
rispr. c. 5. p. 67. seqq.

(n) Quod facile patet, si quis ad singula a Lavatero ad-
ducta ip. d. cap. 12. applicet monita ejusdem iam suprà

lit. f. excerpta; annon metus, debilitas visus, lascivia, ambitio, avaritia &c. ejusmodi historiis occasionem dederint.

§. VII.

Sed tamen insuper probatur, esse spectra, ex historia veteris Ecclesiae & scriptis Sanctorum Patrum (o). (z) Ad hiblo-
rias veteris
Ecclesiae &
scripturarum.
Sanctorum Pas-
trum.
Hic vereor, ne increduli eadem opponant, quæ oppo-
suerunt historiis gentilium, (p) ne urgeant, scepe sub
nomine Ecclesiae veteris, latere Ecclesiam superstitionis-
sime Papalem, (q) item nec Patres primorum seculo-
rum, etiam aliis maxime venerandos, hic a suspicione
fraudum, saltem piarum, immunes esse. (r)

(o) Ita Lavaterus part. I. c. 13. ex Sozomeno, Theodoro Lectore, Nicephoro, Abdia, Ambrosio, Augustino, Gregorio, vita Johannis Chrysostomi, exempla de spectris adducit.

(p) Scilicet Patres, et si fuerint viri Sancti, optimi, pii, homines tamen fuerunt. At errare humanum est. Affe-
ctibus incitari ad pias fraudes, ut vocantur, humanum est.

(q) Loquatur hic ipse Lavaterus d. c. 13. p. 60. *Apud Ni-
ceporum & Abdiā multa extant de visionibus somniis,
miraculis sanctorum, item de spectris. Diligentius e-
nim illa descripsisse doctis videnter, quam alia, quæ
plus ad propositum facissent, & majore cum fructu a le-
ctoribus cognosci potuissent. Evolventi historias, quæ
posterioris temporibus, præsertim a monachis descriptæ
sunt, innumera hujus generis occurruunt. Hoc tamen
dissimilare non possum, malta, ab eis ita describi, ut le-
ctoribus non immerito suspecti sint. Ludovicus Vives,
Beatus Rhenanus, & alii viri docti in descriptione alia-
rum*

rum quoque rerum, de monachorum Chronicis queruntur, quod ab hominibus indoctis absque judicio collecta sunt. Subjungit quidem Lavaterus. Quisque tamen tribuat eis, quantum voluerit. Et si vero multa in illis sint inepta & ridicula, tamen credendum est, quedam saltem ita se habere, ut illi literis mandarent. Sed malleum, ut rationem addidisset, cur illis in quibusdam quæ de spectris narrant, credendum sit. Nam de aliis rebus nemo forte litem movebit Lavatero. Imo audiamus ipsum Lavaterum capite statim sequente 13. p. 62. Quod legendas sanctorum, ut vocant, promtuaria exemplorum & vitas patrum attinet, in quibus multæ appariotiones spirituum continentur, non nullum iis tributare possumus. Pleraque enim, quæ in illis extant, patrum sunt verosimilia. Fortassis religionem & timorem hominibus factis illis narrationibus, injicere voluerunt. &c. Petrus Damianus &c. cuius magna est in Papatu propter doctrinæ & piezatis opinionem autoritas, narravit quendam Clericum Colonensem, quodam tempore equo fluvium transiuntem, Sanctum Severinum, Episcopum Colonensem, (qui non multo ante e vivis exceperat, & sepulcro conditus multis miraculis claruerat) in illo videisse. Hunc apprehendisse frenum Clerici, ne ulterius progrederetur. Clericum obstupuisse, & cur illic sensus vir detineretur? inquisivisse. Episcopum petuisse, ut manum ei præberet, ut sentiret, quomodo haberet. Cumque manum Clerici aquæ impressisset, momento, propter ingentem calorem carnes resolutas diffluxisse, ut nuda offatantum apparerent. Ad quem Clericus: Cum sis tam celebris in Ecclesia, qui sit, ut ita crucieris? Respondit Severinus: banc solum ob causam, quod horas canonicas per distincta horarum spatia non absolui. Fui enim in aula Imperatoris, consiliis ejus occupatus. Mane omnibus coacervatis, toto die negotiis alius fui implicatus.

tus, idem hujus ardoris fero supplicium. Sed omnipotens Dei auxilium uterque imploremus, ut manum suam restituat, quod statim factum est. Et dixit ad Clericum: Vade fili, obsecra fratres ecclesiae nostrae, ut nomine preces fundant, & indigentibus elemosynas distribuant, sacrificiorumque vatis insistant. His enim per abras ego mox ex tormentis illis liberabor, & expectantibus me beatorum civium choris adjungar. Et merito Lavaterus totam hanc narrationem pro fabulosa habet. De aliis igitur, cur non idem ferant judicium alii, causam non videmus.

(r) *Quod Gregorii dialogos attinet, inquit Lavaterus part. 2. cap. 12. p. 145. non possum dissimulare, multa illis contineri, que nequaquam verisimilia, sed fabulis animalibus similia sunt. Non quod sanctus ille Pater ex malitia ea exscripterit, sed quia nimis fuit credulus, & multa ex olierum potius relatione in suos libros consulerit, quam quod certa & explorata haberit &c.* Deinde etate Gregorii ceptum est, illis apparitionibus & visionibus multum tribui. Vera quoque & simplex doctrina illis temporibus valde cooperat labefactari. Plurimum autem refert, in que quisque tempora incidat. Ipse fassus est sua tempora &c. Quidam eum excusantes dicunt, quod ideo dialogos suos miraculis & prodigiis reverserit, ut pertinaces & duri animi Longobardorum illis exemplis mollescerent, veramque religionem amplecterentur, quam tantopere infelici fuerant. Quod autem nequaquam usile sit his administrulis, scilicet narrationibus propagare veram fidem, etiam Vives lib. 5. de tradendis disciplinis, agnoscit. Sed forte Augustini saltem autoritas erit omni exceptione major.

B 2

Uti-

Utinam enim non ipse Lavaterus deprimeret, dum in arte 3. c. 10. p. 199. seq. ubi voluit ostendere, varias superstitiones paulatim crevisse, de eo sic scribit: D. Augustinus lib. 22. de civit. Dei c. 8. ponit talem historiam. Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim nocturnam perpeti, comperisset, rogavit nostros, me absente. Presbyteros, ut aliquis eorum eo pergeat, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, oblatu*s* ibi sacrificium corporis Christi, orans, quenam patuit, utcesseret illa vexatio. Deo propinu*s* miserante cessauit. Accepit autem ab amico suo terram sanctam, de Hierosolymis allaram, eamque suspendebat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse patereatur. At ubi dominus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diuinus in cubiculo suo reverentiae causa habere nolcat &c. Subiungit statim Lavaterus. Hinc clares, superstitionem statim cœpisse, & ut sit, ingenti incremento ouelam esse &c. Mox etiam coepit, orari pro animabus & sacrificari, & bono quidem animo, quod ex quibuscum locis ianitorum patrum non obscure intelligitur. Postea cum Episcopi & Parochi veteres superstitiones non modo non correxerunt, sed potius bona, ut vocant, intentione auerterunt, tandem in immensum audie sunt,

§. IIX.

Porro probatur ex aliis scriptoribus idoneis, ut Alejandro ab Alexandre, Baptista Fulgoso, Philippo Melanchthon, Johanne Manlio, Ludouico Vive, Hiero-

(3) Ad his
rius ab aliis
scriptoribus
idoneis alla-
tas.

tonymo, Cardano, Olao Magno, spiritus interdum apparetre (f) sed ut taceam, hic misceri quosdam sublestæ fidei, (t) non poterit horum major esse autoritas, quam sanctorum patrum. Et vel sola narratio ex Melanthone excerpta fabulam sensibiliter ollens, reliquorum scriptorum traditiones meritò suspectas reddidit. (u)

(f) Vide Lavaterum part. I. cap. 15.

(t) Nam v. g. Maplii loci communes non sunt majoris fidei, quam vita patrum & proctuaria exemplorum, de quibus, quid ipse Lavaterus sentiat, jam excerpti mulit g. Cardanum vero, hominem meticolosum, melancholicum, & scopæ fatuum planè, ut ex ipsius vita ab ipsomet descripta videri potest, quis inter historicos idoneos referat. De Olai Magni mendaciis hodie nemo dubitat.

Nam Melanchthon reliquis à Lavatero hic adductis omnibus si non preferendus, certè nemini eorum postponendus est. Ita vero se habent, quæ ex Melantone excerpti Lavaterus. In libro, quem Melanchthon inscribit: Examen Theologicum, recitat historiam: se habuisse amitam, quæ ubi mortuo marito assideret foco tristior, duo domum ejus ingressi sunt: quorum bic in matrī specie, se maritum esse mulieris defunctum dicebat: alter procerus, Franciscani monachi formam induerat. Hic maritus ad focum accedens, moestam salutat uxorem, eamque sine metu esse jubet, offeritque se venisse, ut quedam ei mandaret. Hinc longum monachum tantisper in hypocaustum secedere jubet, inde sermonem exorsus, sacrificulos tandem conducti, qui missas recitent, maximopè orat, obsecrat, & obtestatur impensi, atque discessurus sibi dexteram porrigi jubet, perterrefactæ autem, exborescenique cum se nihil damni daturum promiseret, dexteram illa dat, quæ, etiam si non laderetur,

tamen usque adē ūri videbatur, ut semper manserit nigrā. Postea evocat Franciscanum, & simul egress in- cunctanter evanescent. Jam mallem scire, quid Lavaterus responsurus sit Pontificio, qui fabulam illam ex Petro Damiano suprā recensitam lit. q. pro verā hi- storia narraret & ad pietatem Damiani provocaret. Haud dubie allegaret, quod fabula hēc inventa sit ad persuadendam necessitatem horarum canonicarum. Cur non igitur etiam sensit, fabulam hanc ab amita Melanthonis inventam esse, ad persuadendam neces- sitatem missarum pro animabus in purgatorio. Ergo amita Melanthonis hoc privilegio apud fagaciores non gaudebit, ut quis hac in parte ipſi credat, et si alias potuerit esse foemina pia.

§. IX.

(4) Ad quo-
tidianam ex-
perientiam.

Ulterius ad quotidianam experientiam provocat Lavaterus, (x) quod scilicet spiritus opem petant, no- ētū in extruendis novis ædificiis laborent, in fodiñis da- mones appareant &c. Sed uti contra leges bonæ dis- putationis hic iterum vera supponuntur, de quibus, an ita contigerint, in quæstione est, (y) ita oblitus est La- vaterus eorum, que alibi de credulitate virorum pro- borum ipse annotavit. (z)

(x) Lavaterus part. I. c. 16.

(y) In primis mirandum, quod Lavaterus ad illam quoti- dianam experientiam referat filios casus p. 68. quod au- diti sine spiritu, qui interrogati: quinam essent? dixe- runt: se esse animas cruciatus patientes, & si quis inter- rogaverit, quomodo ex illis cruciatus liberari possint, responderunt, si certus missarum numerus celebretur, pe- rigrinationes ad divos instituantur, &c. postea multa luce

luce & gloria apparentes dixerint se liberatas esse, suisque benefactoribus gratias egerint, promiserintque, se quoque apud Deum & diuam Virginem pro illis intercessuras esse.

(2) Hodie quoque, inquit part. 2. cap. 12. p 145. multi sunt pii & honesti viri, qui hoc vitio laborant, quod nimis cito credunt, seque alii ridendos praebent. Ex se alios metuntur. Puderet eos aliquid falsi afferere. Ita putant; alios quoque affectos, qui eorum simplicitate & honestate abutuntur.

§. X.

Denique quod textus Sacrae Scripturæ attinet, de discipulis perterritis, Salvatorem pro spectro habentibus Matth. 14. Luc. 24. de spectro sub Samuelis umbra apparet, lib. 2. Samuelis, de manu in convivio Regis Balhataris apparente, Dan. 5. &c. (a) haud dubie dissentientes urgebunt, per metum discipulorum non probari spectra (b), & de Saule umbram Samuelis prouocare cupiente, incertum esse, an & quid Sauli apparuerit. (c)

(a) Nam reliqua exempla, à Lavatero part. I. cap. 18. adducta tanquam adhuc magis dubia, afferre nolui, scilicet ex 2. Sam. 5. & 1. Paralip. 14. de strepitu in cacuminibus arborum excitato. Ubi addit Lavaterus. *Volunt hunc sonitum portentosum fuisse.* Item 1. Sam. 7. de voce magna super Philistæis auditæ, 2. Reg. 6. & 7. de Syris strepidum curruum, hinnitum equorum & frematum ingentis exercitus audientibus. Nam hæc omnia etiam alio modo miraculose fieri potuerunt, quam per spectra. Item de spectris, quorum mentio fit 2. Machab. 3. 10. & 11. Nam ipse Lavaterus fatetur, hunc librum non esse Canonicum. Et parum persuadebit dissentientes ratio Lavateri, circa exempla tamen adduxerit;

C

xerit;

xerit; quia videlicet hi libri conjuncti sunt libris Canonici & à quovis legi possint.

(b) Ipse Lavaterus part. I. c. 3. p. 14. exemplum hoc de discipulis refert in capite, ubi tractat, quod meticolosi homines fingant, se spectra videre & audire, & subiungit p. 15. Hoc loco vides, pavore factum esse, ut discipuli Dominum ipsum spectrum esse putaverint. Mirari itaque nemo debet, si nos quoque metu impediti unum pro altero habeamus, nobis que persuadeamus, quod spiritus viserimus, ubi nulli fuerint.

(c) Nihil quidem hic definimus, sed rem Dominis Theologis tractandam relinquimus. Interim certum est Syracidem putasse, quod ipse Samuel apparuerit Sauli, alios vero putare, Saulem nihil vidisse, sed potius mulierem decepsisse Saulem fingendo apparitionem, & ex ventre locutam fuisse. Et cum adeò hæc quæstio de expositione illius loci non pertineat ad articulos fidei, neque in Augustana Confessione aut etiam in formulâ Concordiæ aliquid de eâ sit definitum, licebit saltem salvâ orthodoxiâ, unam ex his sententiis, quæ verosimilior videtur, amplecti.

§. XI.

*Afferitur
dari spectra,
sed eorum
exempla esse
rarissima.*

Quid ego dicemus? An negabimus existentiam spectrorum? Absit. Credimus utique dari spectra, partim, quod ad exemplum ex Daniele nihil sit quod regeri possit, (d) partim etiam, quod non desint experimenta aliorum, de quibus nulla est ipsis loco fraudis aut falsæ imaginationis. (e) Interim credimus, ex mille, quæ referuntur exemplis, paucissima vera esse. (f)

(d) Nam liber Danielis est Canonicus, & apparitio illa à pluribus visa fuit.

(e) Ita Dn. Praes mihi retulit, se à viro integræ fidei, nimè meticoloso, audiisse, quod triduo ante ortum in-

cen-

cendum ipse viderit in hypocausto, manum humanam in loco, ubi nullus homo subsistere poterat, ter pulsasse ab extra fenestram illius hypocausti. Ergo hic nostra facimus verba Beati Pufendorfii in Epist. ad amicos pag. 125. Eridis Scandice: *Sic non credam ego diabolum dari ex imputatione Becmanni* qui ejusdem sarelliitem tantum rabie in me senvire sentio? Nam quae Becmannus in me patravit, humanam militiam longè excedunt. Sed quod spectra peculiarem articulum fidei constituant, nondum audivi, super quibus si quis ad inquisitionem me trahat, sic respondebo: *Me nungquam spectrum vidisse, nec ut videam, cupere.* Ab imperitis hominibus multa nocturno metu & errore caliginis, aut illusionibus aliorum singi putare. Quoniam promiscue fidem deirabere temerarium censerit.

(f) Propter rationes hactenus in thesibus praecedentibus adductas.

§. XII.

Cum vero spectra sint variij generis & in variis locis compareant, (g) confessio hæc de existentia spectrorum non dum sufficit ad dissertationem præsentem. (h) Ea enim non obstante credimus, omnes illas narrationes de spectris ædes infestantibus, (i) non esse aniles, sed astutæ vel à Sacerdotibus gentilibus, (k) vel à Clero Pontificio, (l) vel a Furibus (m) & Scortatoribus (n) excogitatas fabulas.

*De existentia
spectrorum ades
infestantium
valde dubi-
tatur.*

(g) Lavaterus Part. I. cap. 19. p. 85. *Etsi vero omnibus in locis hæc (spectra) audiuntur, præcipue ramen in campis illis, in quibus prælia commissa, vel in locis ubi supplicia de sotibus sumuntur: in sylvis, in quas olim adjuraverunt demonas expulsas ex hominibus: in templis, monasteriis, circa sepultra & limites regionum atque*

¶ 2

egro-

- agrorum : in carcerebus, domibus, arcibus, aliquando in
ruinis & rudibus arcium.*
- (h) Nam à genere ad speciem non valet illatio affirmativa, aut ab una specie ad aliam. Datur leo, datur draco, datur capra, sed tamen propterea non datur chimæra.
- (i) Dico ædes infestantibus, non in ædibus apparentibus. Nam de prioribus hinc est quæstio, non de posterioribus. Scilicet non datur haud dubiè actio ad re-scindendam locationem conductionem, si spectrum saltem rarissimè appareat & nemini noceat in ædibus. Sed qui metum spectrorum putant esse causam rescindendi conductionem, loquuntur de spectris vel nocentibus & damnum dantibus, vel certe inhabitantes ita frequenter & graviter terrentibus, ut inhabitari tuto non possint. Ergo non negamus, spiritus apparere in ædibus. Neque adeò hoc spectat aut nobis opponi potest manus illa apud Danielem. Neque negamus aut non credimus ea, quæ subinde de spectris narrantur apparentibus in castris aut ædibus principum, quæ princeps aliquis moriturus est, sed judicium aut finem nostram hic saltem suspendimus.
- (k) Ni fallor antiquissima narratio de tali spectro est illa, quæ legitur ap. Plinium secundum l. 7. Epist. 27. ad Suram. Erat Arbenis sparsa & capax domus, sed insatis & pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, & si attendere acris strepitus vinculorum longius primo, deinde è proximo reddebat. Mox apparebat idolon, senex macie & squalore confusus, promissa barba horrenti capillo, cruribus compedibus, manibus coreras gerbas quoiquebaique. Inde inhabitantibus tristes diræquonotes, per metum, vigilabantur : vigilam morbus, & crescentie formidine, mortis sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat inuaga, memoria imarginis oculis inerrabat, longiorque causis timor erat.

erat. Diserta inde & dannata solitudine domus, dotaque illi monstro relicta: proscriptebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. Veritatem Athenas Philosopher Athenodorus, legit titulum, auditumque pretio, quia suspecta vilitas, percutiatus, omnia docetur, ac nibilominus, in modo tanto magis conductit. Ubi coepit adesperare cere, jubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen. Suos omnes in inferiora dimittit. Ipse adscribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens auditam simulacra & innatae sibi metus fingeret. Initia, quale ubique, silentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed obfirmare animum, auribusque praetendere, tum crebescere frigor, adventare etiam, ac jam, ut in limine, jam ut intra limen audiri. Respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatque digito, similis vocanti. Hic contra, ut paululum expectaret, manu significat, rursusque ceris & stilo incumbit. Illa scribentis capira catenam insonabat. Respicit rursus idem quod prius innuentem: nec moratus tollit lumen, & sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas & folia conceperat signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet, us illum locum effodi jubent. Inveniunt ossa inserta catenis & implicita, que corpus aeo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis. Collecta publicè sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit. (i. e. phasmatisbus) Volui locum totum describere, quia saepius ad eum interfici provocabimus. Excerpsit etiam totum, etiam cum iis, que antecedunt & sequuntur, Lavaterus Parte I. cap. 12. p. 54. scgg. Cataneus in notis ad Plinii d. Eum locum provocat ad Luciani Philopseudem, ubi eandem

rem, sed sub aliis circumstantiis, narrari afferit. Ergo describamus & hunc Luciani locum ex Tom. II. p. 75^o, seq. secundum versionem Thomæ Mori. Arqui inquit ille (Arignotus Philosophus Pythagoreus) se quando Corinbum veneris, roga, ubi sit Eubaditæ domus. Atque ubi tibi fuerit indicata, nempe circa Crancum, in eam ingressus, dic janitori Tibio, velle te videre, unde dæmonem Pythagoricus Arignotus, quem adduxisset, abegerit, ac deinceps habitabilem domum reddiderit. Quidnam hoc erat Arignote? rogabas Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille, diu propter terricula, quodsi quis inhabitasset, expauefactus illuc fugiebat, exactus à quodam horrendo ac terribili spectro. Deciderat ergo jam, tectumque rumpebat, neque quisquam erat omnino, qui eam ingredi fuerit ausus. Ego vero ubi hæc audiri, libellos sumens, (sunt autem Ægypti mihi de talibus rebus admodum multæ) veni in domum circa primam vigiliam, deborante hospite ac ferme detinente, postquam didicerat, quo iuris esset, in certum, ut putabat, exitium. At ego sumta lucernâ solus ingredior, neque in vastissimo atrio collocato lumine, sumi sedens caciè legebam. Adest vero dæmon ille, cum quopiam è vulgo se congressurum ratus, ac me quoque quemadmodum alios, perterriturum, squalidus, hirsutus, ac tenebris nigror. Atque hic cum adstaret, undiq; me asfultim petens, temnauit, si qua possit expugnare, ac modo in canem, modo in taurum, modo in leonem vertebatur. Ab ego correpto in manum quam maxime horrendo carmine, simulque vocem imitatus Ægyptiam & incansans, eum, in domicili tenebroſi angulum quandam compulsi. At quam animadvertissem, ubi se in terram condidit, cum desisti.

Manc

Mane autem desperantibus universis, ac me quemadmodum alios, mortuum sese reperturos putantibus, prater omnium spem progrediens, Eubaitdem adeo, feliciter ei annuncians, quod parum sibi ac à spectris liberam domum jam liceret incolere. Atque illum assumens aliquos multos, quum ad locum duxisset, ubi condentem se demona conspexeram, iussi ut sumis ligonibus spatulisque suffoderent. Atque ubi id fecerant, inventum est, sere ad passum defossum cadaver quoddam maeridum, ossibus tantum humana specie coherentibus. Illud igitur effossum sepelivimus, dominus vero postea turbari prodigiis desit. Fabulam esse id quod Lucianus hic recenset, ex ipso Luciano patet. Cujus etsi non magna autoritas apud eos, quorum mentes spectris sunt occupatae, hodiernis tamen temporibus apud cautores non est tantum viri odium, postquam summè reverendus Augustanorum Antistes Treunerus in dissertatione Jenæ habita, de Luciani Theologiâ, eum ab Atheistini calumniâ liberavit. Sed nolo ejus autoritate hic uti, cuius alias totus ille dialogus è spectat, ut doceat, etiam philosophorum suorum temporum turpisima mendacia, ad vanam gloriam comparandam, imposuisse incautis. Ipse circumstantiae fatis hinc inde docent, purum putum mendacium esse, quicquid Arignotus ibi narrat. Unde prudentius fecit Plinius, (6, ut Cutanæus putat, verum est, quod Plinii & Luciani narratio sit eadem) quod circumstantias mendaces omiserit, & modestioribus circumstantiis factum narraverit, proprius ad aliquam verosimilitudinem accedens. Interim & illud Plinius ab aliis audiuit, & pro sua in narrantes propensione credit. Sic enim ipse d. epist. 27. lib 7. antequam historiolam illam narraret, jam illud, inquit, nomine & magis terrible non minus aurum est quod exponam, ut accipi. Et post finem narratio-

tionis. Et hæc quidem affirmansibus credo. Quod si quis repeatat ea, quæ jam supra ad § 4 lit. l. notavimus ex Lavatero, quod interest sacerdotum Ethnicorum fuerit, ut justa funebria haberentur defunctis, quilibet facile subodorari potest quem in finem fuerint illa, quæ modo ex Plinio & Luciano excerptissimus, effecta. Fortè etiam ipsi Philosophi talia finxerunt ad persuadendas doctrinas quasdam, ex recta ratione vix demonstrabiles. Notum est, Platonem tria justitiae genera statuisse, primum circa Deos, secundum erga homines, tertium circa defunctos, scilicet honestam sepulturam. Unde naturum commune præceptum juris gentium de sepelientis mortuis. Vid. Dn. Præf. Inßit. Jurispr. div. lib. 3. c. 10. Et Pythagoreos etiam ab ista doctrina non fuisse alienos, conjectari licet ex ipsâ Luciani narratione, quam Philosopho Pythagoreo tribuit.

Scilicet illæ narrationes, ubi spectra apparuisse dicuntur in ædibus, urgentia, ut misere pro iis habeantur, ut citius ex purgatorio liberentur. Quorsum pertinet ex suprà recentissis illa fabula amitæ Philippi Melanthonis. Pulcher est locus Gilberti Cognati, viri docti & amanuensis olim Erasini Roterodami, in annot. ad cit. dialog. Luciani p. 584. Cujus verbis adeò malo quam meis, dimentem meam exprimere: *Frustrum, inquit, nobis offendit iste dialogus (Luciani) ut neque magicis habeamus prestiti fidei, & superstitione careamus, quæ passim sub specie religionis obrepit; cum vitam ut agamus, minus anxiom, minus videlicet expavescentes tristia quampiam ac superflitiosa mendacia; quæ plerumque tanta cum fide atque autoritate narrantur, ut Augustino, viro gravissimo, hostiique mendaciorum acerrimo, nescio quisnam veterator persuaserit, ut fabularum illam de diuibus Spurinis, altero in vitam redeunte, altero decedente, tanquam rem suo ipsius tempore gestam pro verò nar-*

raret, quam Lucianus in hoc dialo^{go} mutatis tantum nō
minibus, tot annis, antequam Augustinus nascetur,
irrisit. Quo minus mireris, si pinguis vulgi men-
tes suis segmentis afficiant ii, qui se tandem rem ma-
gnam consecisse putant, Christumque sibi devinxisse
perperuo, si commenti fuerint aut de sancto aliquo viro
fabulam, aut de inferis tragoeidiam, ad quam vetula quæ-
piam aut delira locrymetur, aut pavida inhorrescat.
Itaque nullam fere martyris, nullam virginis vitam pre-
termisserunt, in quam non aliquid hujusmodi mendacio-
rum insvererint; piè scilicet, alioquin enim periculum
erat, ut veritas non posset sibi ipsa sufficere, nisi fulciretur
mendaciu^s. Nec veriti sunt, eam religionem contaminare
segmentis, quam ipsa veritas instituit, & in nudis voluit
veritate confidere. Nec viderunt usque adeo nihil illius-
modi fabulas conducere, ut nihil perniciosus officiat.
Nempe ubi admixtum suboleto mendacium, veritas illico
minuitur, ac labefactatur autoritas. Unde sèpè mibi
suspicio suboritur, magnam hujusmodi fabularum par-
tem à vafri^s ac pessimis nebulonibus constitam, quibus stu-
dium frui, partim ex ineauta simplicium potius, quām
prudentia credulitate volapeatē capere, partim fa-
bularum fidarum commercio fidem veris Christianorum
historiis a dimere, quippe qui frequenter quædam his,
quæ in Sacra Scripturā continentur, tam vicina confin-
gunt, ut facile se declarent, ad ludendo lufisse. Quamob-
rem quas scriptura nobis historias divinitus inspirata
commendat, eis indubitate fides babenda est, ceteras
vero ad Christi doctrinam tanquam ad Crito^l regulam
applicantes cautè & cum judicio aut recipiamus aut re-
spuamus, si carere volumus & inani fiduci & supersticio-
sā formidine. Illustrabat etiam hic Gilberti Cognati
locus ea, que jam supra ad §. 7. lit. r. de autoritate S.
Augustini in quæstione de spectrorum existentia

D

disse-

differui, idque credo non ingratum futurum iis, apud quos alias Augustini autoritas ferè scripture autoritati æquipolleat.

(m) Lavaterus Part 1. cap. 5. p. 21. Fures sub hoc pretextu sèpè nocturno tempore alios expilarunt, qui, cum purarint, se audire spectra, fures illos non abegerunt.

(n) Idem ibidem. Adhuc omnes norunt, scorta & scortatores sub hoc pretextu interdum longo tempore rebus Venereis operam dedisse, & domesticis persuasissim, lemures in domo vagari, ne ipsi in facinore deprehendi possent, sed opatis amoribus fruerentur. Non semel tales spiritus à magistratibus comprehensi, & publica infamia afflitti sunt.

§. XIII.

Sed supponam tamen in gratiam dis- sentium & illa, sub limita- tione variata. Cæterum ne incredulitas nostra faciat praeditum vel veritati, vel etiam credulitati aliorum, etiam spectra ædes infestantia dari firmiter sibi persuadentium, ac justum ob metum talium spectrorum esse refectionem contractus conductionis afferentium: Age in eorum gratiam supponamus, dari etiam ejusmodi spectra. Sufficiet enim & hic nobis, quod dissentientes, si pari æquitate nobiscum agere velint, minimum sint concessuri, quod saltem plurimæ narrationes de talibus spectris fabulæ sint. (o)

(o) Quodsi quis èò impudentiæ procedere velit, ut omnes veterarum & nugatorum fabulas de spectris domesticis pro veris aut verosimilibus habendas esse audeat, is nosse debet, quod cum eo nullum sit nobis negotium, scribimus enim in gratiam orbis sanâ ratione utentis, non eorum, qui solo præjudicio autoritatis dicuntur.

§. XIV.

§. XIV.

Jam videamus, an metus ejusmodi spectrorum in vi-
rum constantem cadat? Negamus. Nam fortis & a-
nimosi viri non torquentur à spectris, sed meticulosi, fœ-
minæ, pueri &c. (p)

*Metus spec-
trorum non
cadit in vi-
rum constan-
tem.*

(p) Loquatur iterum pro me Lavaterus part. I. c. 3. p. 15.
*Qui forti & excelsa animo sunt, ab omni metu vacuari raro-
vident spectra. De Scythis, gente montana & bellico-
sa tradiebat, quod eis nulla spectra appareant. Leones
memorati, larvis non terreri: sunt enim animosi & im-
pavidi. Plutarchus in vita Dionis, à pueris, mulieri-
bus, egrotis, deliriis, & meticulosis hominibus spectra
videri, jam suo tempore testatus est. Item Lavaterus
part. 3. cap. 5. p. 184. optimum remedium adversus spe-
ctra esse docet, ut fortes simus, impavidi & constantes in
ver à fide.*

§. XV.

Quæ ratio uti valet in toto humano genere, cui-
cunque religioni quis sit addictus, ita omnium maximè
attendenda est inter eos, qui non solum Christianæ, sed
insuper Evangelicæ religioni addicti sunt, (q) ut qui-
bus ob evidentes rationes rarissimè apparent spectra &
larvæ (r).

*Omniam mi-
nimè vero a-
pud A. C. ad-
dictos.*

(q) Lavaterus part. I. cap. 19. p. 83. *Qui constantes sunt
in vera fide, rarius hæc vident vel audiunt, quam super-
stiosi, ut in aliis quoque rebus.*

(r) Tractat eâ de re Lavaterus part. 3. integr. cap. 2. cuius
rubrica est: *Quenam sit causa, quod nostris temporis-
bus pauci spiritus conspiciuntur vel audiantur. Ubi
p. 178. hæc habet: Sunt aliae quoque cause, ob quas ra-
riora sint hæc. Si quis te semet, iterum, tertio fallat,
dein-*

D 2

deinceps aperis oculos, vides quid agat, quid molietur. Ita cum sepius decepti sumus ementiti visionibus, non facile credimus, si nobis dicatur, aliquam animam vel spiritum apparuisse. Adhac cum pauci nunc sibi metuant à spectris, facile invenirentur, qui querere co-
vellent, videre, imò conrectare. Hoc scitur. Igitur
nemo facile personam induit, aut aliàs animam esse men-
titur. Pueris facile persuadetur, adesse virum atrium,
proceram foeminam, que in saccum plorantes condat.
Sed postquam adoleverint, non amplius larvis & hu-
muscemudi sermonibus terrentur. Ridebunt tuam sub-
titiam si deinceps sic terrere eos insinuas. Ita cum pue-
ri effemis in scripturis, hoc est, sensum earum non offe-
queremur, potuerunt nobis multa persuaderi. Nunc
cum illas in omnibus linguis legimus, in illis quotidie
proficiamus, non patimur nobis ita illudi, nec curvis ap-
paritioni credimus. Quod spectra pepulit Bernensium
Monachorum detesta malitia? Terricula menta in horis
& agris eriguntur ad pellendas aves, qua etiam tan-
dem rugas esse sentiunt, nec amplius ejusmodi ludibriae ab-
biguntur. Quid igitur mirum, si post maximam pietatis
& veritatis iacturam homines, quantumvis simplices,
tandem oculos aperiant.

§. XVI.

Ex dictis jam facile definitur quæstio, an conductor
et diuini possit recedere à conductione, non soluta merce-
de de qua convenit, prætendens metum spectrorum?
Scilicet neganda est quæstio, quia metus hic est omnino
vanus, per haec tenus dicta. (s)

(s) Vani autem timoris iusta excusatio non est l. 184 de R. I.
Proplus ad rem facit l. 27. § ult. ff. locati. Int. irrogatus
eß,

Ergo nec ut
talum me-
tum rescin-
di posse con-
ducere adiun-

est, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem nec ne? Respondit, si causa fuisset, cur periculum timeres, quamvis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem. Sed se causamtimoris iusta non fuisset, nihilominus debere. At vero vir constans & prudens, ut Horat. ait, lib. 2. Epis. 2, in fine, nocturnos Lemures, portentaque Thessala ridet.

§. XVII.

Quid si foemina sit conductrix, annon huic saltē
licebit rescindere locationem metu spectrorum? Sane
incivile esset, a foemina postulare metum, qui cadat in vi-
rum constantem. At sufficit, quod hic metus spectro-
rum sit plane vanus, & qui ne quidem in foeminam con-
stantem cadat. Ergo nec foemina metus locatori noce-
bit, sed & ipsa, si manere nolit, mercedem solvere debet
locatori. (t)

(t) Fatemur equidem, non posse certā regula comprehen-
di, quis justus dicatur metus, nec ex verbis legum eum
accurate determinari, sed potius prudentis judicis dis-
quisitioni id permittendum esse, qui ex circumstantiis
personæ, loci &c. id aestimeret. (Sic metum infamiae alii-
quando justum esse, non obstante l. 7. pr. quod met. caus.
offendit Dn. Praes. dissert. de existimatione famæ, & in-
famiae §. 8.) Fatemui cum Glossâ in cap. cum locum 14. X.
de sponsal. minorem metum sufficere in muliere quam
in viro. Et licet Honorius III. cap. consultationi iux-
ta 28. X. ead. loquens de muliere, requirat metum, qui
cadat in virum constantem, fatemur tamen, ea verba
magis proverbii loco pro metu non vano accipi debe-
re, quam ut verbis ipsiis inhereamus. Wissenb. ad l. 148.
de R. I. Interim sufficit, quod probaverimus hactenus,
vanum omnino esse metum spectrorum ædes infestan-
tiūm.

*Etiam si foemina ades
conducere.*

Respondetur
ad dissentien-
tium auctori-
tates.

XIX §

Sed forte tamen non est vanus ille metus. Videamus. Ostenderunt id JCTi celebres. At quinam? Pontificii. u) At hi superstitione seducti scripferunt. Imo & Evangelici x) At hi nimia credulitate peccarunt, & rationibus iustis destituti sunt. Atque ne hoc gratis dixisse videamur, demus causæ advocatum. Et quem alium, quam Dionysium Gothofredum, y) cuius autoritatem penè secuti sunt reliqui JCTi protestantes,

u) Citat Wissenb. Exerc. 37 ad Pand. th. 13. Covarruviam 4. var. c. 6. Mornacium in l. 27. §. 1. de locat. Gomezium 2. resol. 3. n. 3. Tuldenum in tit. C. de locat. n. 12.

x) Dionys. Gothofr. ad d. l. 27. §. 1. Wissenbach. l. c. Huber. in p̄flect. ad inst. alliq. innumeris.

y) Ita vero Gothofredus. Memini, me adolescenti Ludovicum Sandonium, disertissimum in foro Parisensi aducavum, curatorem & cognatum meum, clients cuidam suo remissionem pensionis impetrasse, conquerenti, se propriæ spectra, idola, seu phantasmatæ, domui conductæ infesta frui non posse. Movebar, quod cum conductio emisioni similis esset, conductio statim in conductorem periculum rei locata transferre videretur. Ille hanc hypothesin emisioni fructuum futorum comparabat, qui si nulli existissent, confitabat, nullam venditionem esse, igitur nullam hic conductionem esse, quod ejusmodi spectra habitationem impedirent. Dicebam, conductorem eo casu non ferendum, qui sibi sponte metum accerret, cum constaret ex Plinio epist. 7. cap. 27. Athenodorum Philosophum Ashe- nis minimè eas res expavisse. Metum autem eum non esse considerandum, qui in constantem virum non possit cedere. Ille non exemplis, sed legibus judicandum esse. Quin etiam

eriam illam unicum Athenodorum proferri, non unum aut alterum. Raros reperiuntur, qui non talibus spectris occurrentibus expavescant. Hinc liquere, metum hunc non minus verum esse, quod unicus Athenodorus in hoc consueta spectra non reformidaverit. Nec enim, quæ semel, vel iterum eveniunt, à legislatore considerari. Adhuc dicebat, argumentum fecisse judicibus, quod hujusmodi spectris domus non modo, sed & regiones integræ deserta fuerint redditæ. Utetur autem testibus omni exceptione majoribus: scripturā divina scilicet, Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. Locum ex Plinio junioro citabat l. 27. epist. 7. Proferebat pariter historiam umbræ Samuelis, iussu Sauli evocatae, & Augustini locum insignem in libro de curâ pro mortuis agendâ. Quod eolubentius adscripsit, ut vel ex hoc loco bene merenti cognato, quondam curatori gratiam non immemoris animi qualēm qualēm referrem, quem summa & exacta juris nostri cognitio, ut & mores placidi & integerrimi ad maiores post honores, non in patriâ tantum Lutetiae, sed apud ipsum patriæ patrem, hoc est Regem, commendatissimum processerunt. His addit, quæ ad hanc questionem: An remissio pensonis vel emigratio peti possit ob pestem larvas & strigas scribit Arnoldus Ferronius, Christopherus Poreus, Guido Papa. Vide etiam Gregorium, Lucianum, Alexandrum ab Alexandre, Pausaniam, Aelianum, Leonicum, &c. Autorem mallei maleficarum &c. Loca Autorum modò nominatorum vide apud ipsum Gothofredum.

§. XIX.

Ubi initio pater, Gothofredum hic, ex nimio affectu in curatorem suum, persuasum esse de justitia sententia pro conductore latæ, quemadmodum supra (z) jam ostendimus, Philippum Melanthonem, ex nimio amore erga amitam suam, credidisse veritatem apparitionis

*In specie ad
authoritatem
curatoris Go-
thofredi.*

nis ab ipsa narratæ, quam tamen fabulosam esse omnes
lineæ docent. (a)

(z) *Sipra §. 8. lit. u.*

(a) Fuit iste cognatus Gothofredi JCrus eximius, & inter-
gerrimus, at Regi commendatissimus. Interim tamen
nulla consequentia: ergo sententia illa pro conducto-
re prolata fuit principis juris conformis. Adde, quod
testimonium Advocati de justitiâ causæ, quam in judi-
cio defendit, sit meritò suspectum.

§. XX.

*Rem ad ar-
gumentum de
comparatio-
ne locationis
cum emtione.*

Deinde, uti objectio Gothofreedi, quâ impugnavit
dictam sententiam, de periculo rei locatae ad conducto-
rem pertinente, principiis juris adversatur, b) & etiam si
eam debitè emendes, (c) tamen ad decisionem questio-
nis præsentis parum vel nihil facit. (d) Ita etiam respon-
sio Advocati curatoris Gothofredi, de conductione cum
emtione fructuum futurorum comparanda, similiter &
falsa (e) & ad præsens negotium parum apta est. (f)

(b) Nam conductor, ut vel ex principiis primis juris no-
tum est, culpam solum praefat, nequaquam periculum
rei locatae in se suscipit.

(c) Nam videtur Gothofredus id voluisse dicere, quod
in conductione periculum fructuum pertineat ad con-
ductorem, & ex festinatione pro fructibus posuisse rem
locatam.

(d) Nam tota hæc questio, quanta quanta est, dependet à
præjudiciali questione, an metus spectrorum sit iustus
nec ne.

(e) Nam initio falsum est, locationem ædium esse simi-
lem venditioni fructuum futurorum, & eadem fiducia
hæc propositio negatur, quâ à cognato Gothofredi fuit
asser-

asserta. Deinde falso est, quod fructibus futuris venditis, venditio nulla sit, si nulli fructus nascantur, et si hic error communis sit, & occasionem dederit distinctioni inter venditionem spei & rei speratae. Non enim video, cur non idem jus obtinere debeat in venditione fructuum futurorum, quod obtinet in venditione captus piscium, si modo idem utrobius actum fuerit. Sed occasionem errandi sumserunt Dd. quod casus varios in legibus Romanis de fructibus futuris agentes v.g.r. l.8. pr. l.39. §.1. l.78. in fine ff de contr. emt. l.1. in fine de Cond. & demonstr. l. interdum 73. de V.O. parum apte miscuerint, & non recte explicaverint. Conf. Schilt. Exerc. 30. §. 29. Sed haec quidem prolixius exponere instituti ratio non patitur.

(f) Ob rationem modo lit. d. indicatam.

§. XXI.

Evidem Gothofredus, dum cognato suo opposuit, metum spectrorum non cadere in virum confitatem, recte id fecit, (g) sed melius fecisset, si ad alia exempla provocasset, quam ad exemplum Athenodori philosophi. (h) Quae vero Advocatus contra respondet, variis modis impingunt, partim torquendo quemdam brocardica ex legibus, (i) partim talia in contradictione afferendo, quae vel aperte falsa sunt, (l) vel miscent metum verum cum metu justo. (m)

(g) Per supra dicta §. 16. & 17.

(h) Nam ita occasionem dedit adversario, ex eadem narratione Plinii de Athenodoro, statim provocandi ad existentiam spectrorum ædes infestantium, quam ramen supra cu[m] ratione negavimus §. 12. Deinde dedit occasionem adversario, ut urgere potuisset, quamvis id

E

haud

haud fecerit, a Philosopho ad quemlibet virum constantem non posse argumentum duci: Debere quidem omnem Philosophum esse virum constantem, sed non omnem virum constantem esse philosophum, sed Philosophiam excelsius quid docere, quod in alios homines etiam alias constantes non cadat. Et anno alia exempla virorum constantium non philosophorum habebat Gothofredus, quæ Advocato illi opponere? Sed excusamus ejus adolescentiam, tuin temporis experientia destitutam.

(i) Initio: non exemplis judicandum, sed legibus; Si ulla in negotio, certe in presente, hoc brocardicum male applicatum est. Valet illud, quando queritur de moralitate actionum & imprimis de justitia & injustitia: Haud quamquam vero, ubi agitur de examinando metu virili & puerili. Hic utique exemplis opus est, & arbitrio judicis, non legibus, per dicta superius §. 17. lit. t. Et ipse Advocatus postea ad exempla provocat aliorum spectra metuentium. Deinde quam inconvenienter istud adducitur: *Quod semel aut bis sit, de eo non sunt leges.* Sane hic non agitur de prudenter legislatoria, sed de applicatione legum ad facta singularia. At hæc talibus circumstantiis possunt esse prædicta, ut inter rarissimos casus referri mereantur. An propterea dicemus, cessare Jcti officium aut Judicis, quod casus sit rarissimus? Imo, si procardicum illud ad rem præsentem spectaret, possemus potius inverttere, non succurrendum esse conductori, ob metum spectrorum remissionem pensionis petenti, quia videlicet hi casus raro continunt, per dicta §. 12. 13.

(l) Et si enim recte opposuerit adolescenti Gothofredo, quod unicum proferatur (ab ipso scilicet) exemplum Ahenodori, non unum & alterum, quem nayum in Gothofredo jam notavimus lit. b. id tamen falsum est, quod

quod addit; Raros reperiri, qui non apparentibus tabulis spectris expavescant. Fuere enim omnibus temporibus & apud Ethnicos & apud Christianos, etiam apud Pontificios, & adhuc hodiernum sunt, non pauci, qui istas rugas spectrorum edes infestantium rident, & fortitudine animi sui larvas istas deceptrices abigunt. Etsi non sit diffidendum, meticulosos forte plures esse, ac semper fuisse. Sed uti multitudo errantium non parit errori patrocinium, ita nec multitudo metuentium potest parere metui demonstrationem constantiae virilis, &c.

(m) Quid enim hoc est, quod ait, *hinc liquere, metum hunc non minus verum esse, quod unicus Athenodorus talia spectra non reformidaverit.* Utique metus quicunque vanus, verus metus est, & s^ep^te fo^tisimus ac constans, ut ex effectibus patet. At non in questione erat, an metus talis sit verus an fictus, sed an in virum fortem & constantem cadens. Vigilantibus jura sunt scripta, non negligentibus, et si negligentes verè vigilant. Ita metuentibus succurrunt leges, non quibusvis, et si verè metuentibus, sed qui justa ex causa metuant. *Metum, non vani hominis,* inquit Gaius l. 6, *quod merus causa, sed qui merito & in hominem constantissimum cadit, ad hoc editum pertinere dicemus.* Scilicet causa justa metuendi hic examinanda est, in tantum, ut ne quidem ad veritatem aut falsitatem periculi, quod metuitur, respiciatur, d. l. 27 §. 1. locati, id est, eti periculum, quod metuitur, forte extiterit, modo justa causa metuendi subfuerit.

§. XXII.

Denique nihil probat provocatio Advocati *Denique ad ad existentiam spectrorum, quanquam nec hæc justa argumentum ab existentia spectrorum minimè vero defundit.*

E 2

vero existentia spectrorum ædes infestantium, (o) quamquam ejus probatio aliquo modo a Gothofredo fuisset admittenda. (p)

(n) Respicio ad illa verba: *Adhæc dicebat, argumentum fecisse judicibus, quod hujusmodi spectris domus non modo, sed & regiones integræ deserta fuerint reddite.* Hic varia monenda. Primo: Etsi probatum esset ab ipso, et si probaretur dari etiam spectra, quæ integras regio- dari spectra propterea tamen non probatum esset, dari spectra ædes infestantia, per dicta § 11. & 12. Deinde nes desertas fecerint; propterea tamen non probasset, ergo dantur etiam spectra ædes infestantia, quia non solum à positione generis ad positionem certæ speciei non licet argumentari, sed etiam non valet consequen- tia ab existentia speciei unius, ad existentiam speciei al- terius, ut vel pueris in schola notum est. Tertio, etiam si de utriusque speciei existentia constaret, non tamen de existentia frequentia, non desineret merus esse vanus & in virum constantem non cadens, per dicta §. 13. 14. 15.

(o) Quid ex allatis textibus Scripturae Sacrae voluerit pro- bare Gothofredi cognatus, vix divinando assequi possumus. Sane loca Matthæi, Marci, & Lucæ ab ipso ad- ducta nequam de spectris loquuntur, sed de homi- nibus dæmoniacis. Et quamc. etiam explicationem Theologorum de umbra Samuelis à Saulে provocata se- quaris, nunquam tamen inde probabitur, quod ea pro- spectro vel ædes, vel regiones integras desertas redde- te, haberi debeat. Augustini liber, de curâ pro mor- tuis, quamvis jam non sit ad manus, quicquid tam- i. ledicat, doctrinæ nostræ id parum obstabit, per eæ, quæ jam de Augustini imbecillitate notavimus suprà ad §. 7. lit. r & ad §. 12. lit. l.

(p) Scilicet illa probatio de spectro ædes infestante ex Plini.

nio. Valebat enim probatio illa existentiae spectriædes
desertas reddendis aduersus Gothofredum, ut jam no-
tavimus ad §. præced. lit. b. Non valet aduersus nos
propter dicta superius §. 12. lit. k.

§. XXIII.

Non vero opus est, ut in autoribus ab ipso Go-
thofredo ulterius adductis (q) nos detineamus, cum
partim ex superioris dictis pateat, quid hic responden-
dum sit, (r) partim etiam locus ex Alexandro ab Ale-
xandro, ad quem provocavit, (l) magis fabulam recen-
seat, quam ut nostræ sententiæ opponi possit (t).

*Cur ad auto-
ritates reli-
quas à Gotho-
fredo addu-
ctas non re-
spondeamus.
Fabula ex
Alex. ab
Alex.*

(q) Vide §. 18. lit. y. in fine.

(r) Vide §. 6. seq. ibique dicta.

(s) Extat ille in diebus Genitalibus Alex. ab Alex. lib. 5.
c. 23. Nota & vulgaris res est, ædes quasdam Romæ,
quas ego incolui, evidentissimis ostensis ita infames, ut
nemo illas incolere ausus fuerit, quin aspidis umbra-
rum illusionibus & terris imaginibus, noctibus ferè sin-
gulis inquietetur: in quibus præter nocturnos tumultus,
quos medio ferè noctis silentio audiebamus, & hor-
rendos fremitus cum eiulatu, striduloque vocis sono,
quibus lachrymari & tremere videbatur, speciem ho-
minis squalidâ facie, vultu minaci, nigro corpore, aspe-
ctu formidabili nomen suum exprimentem, & open im-
plorantem, cernebamus, sed ne hoc quis fabulosum aut
commentitium putet, auctor est Nicolaus Tuba, vir mul-
tæ & expertæ fidei, qui, cum rei explorandæ gratia cum
nonnullis doctis juvenibus prima facie ad nos adventas-
sent, cupido incessit animo, haec, que à me promeban-
tur, vero testimonio experiri, & an vera essent, intueri.

E 3

E 6

Et ne quid inexpertum relinquerent, noctem der vigilem egere mecum, ut rem notam exploratamque haberent. Neque eos opinio fefellerit. Nam cum accensis luminibus pervigiles starent, haud procul species hæc dirâ terribilique facie & vultu tetro repræsentata est, quam ipsi tumultuari, & diris nos vocibus agitare videbant. Cumque omnia clamore & tumultu streperent, post multa oculorum ludibria tantum formidinis pavuisse intulit, ut territi & trepidi vix mente incolumi satis constarent. Et cum rotæ ædes gemini funeſo miscerentur, singulisque cubiculis pestis illa importuna observaretur, dum proprius accederemus, illam retrocedere, & querulâ voce lumen effugere cernebam. Demum cum multum diuque tumultuata fuisset, haud multo post, ubi multum noctis processit, visio omnis illa dilapsa est. Sed præ ceteris, qua ibi expertus sum, non omittam miraculum ingens, quod mihi planè vigilanti majore aliquanto trepidatione haud multò post obveni: nam cum tenebris abortis cubiculi foræ obferarem firmâ serâ jaceremque in lectulo, nulla adhuc quiete composta, lumine accenso, horribilem illam speciem foris jam tumultuari, & cubiculi foræ manibus pulsare sentiebam. Nec multo post simulacrum illud operis adiutisque foribus (vix credibile dictu) per commissuras ac rimas in cubiculum se intromisit: quod sub lectulo meo jacens cum Marcus, alumnus & cliens meus, utpote qui è conspectu cubabat, tetra & dira facie adspiceret, pavore subito confernatus, luctu & gemitu omnia operebat, ipsumque intromissum non sine formidine clamabat. Idque cum mihi, qui clausum cubiculi ostium aspicerem, vix credibile videretur, interim dirum illud simulacrum, quod

quod sub lectulo jacebat meo, manum & brachium pro-tendere, lumenque, quod juxta aderat, extinguere vidi-mus. Quo extinctor libellos meos, & quicquid rerum e-rat, querula voce misere ac omnia revertere non desisti-t. Mox cum ad tumultum exciti socii eo se contulif-sent, lumenque intromisuri obversarentur vestibulo, interim ipsum apertum cubiculi ostium manu aperire, & foras effugere vidimus. Erat enim ipsius species, ut plane perspeximus, simulacro homini nigerrimo non ab simili. Illud utique mirum fuerit, dignumque me-moratu, figuram illam, dum nebiscum sic ludaretur, cum foras cubiculi reserasset, ab his, qui lumen intro-misere, minime conspectum, sed cum primum cubicu-li foras exivit, clapsum ex oculis, illico discessisse, & in curas evanuisse.

(c) Ut enim taceam, his quasdam circumstantias immi-sceri ab Alexandro, diversis typis in nota praecedente impressas, quæ fraudis humanæ interventientis magnam suspicionem excitent, sic ad hoc caput Alexandri com-mentatur Andreas Tiraquellus JCTus celebris. Simile quippiam refert Plinius junior l.5. epist. 5. Sed ut semel dicam, quid de hisce rebus sentiam, ego mera sonnia esse puto. Add. Alex. lib. 2. cap. 9. ibique idem Tiraquel-lus.

§ XXIV.

Pergimus ad usum forensem doctrinæ nostræ. U-bi ab initio queritur: an hæc controversia ad forum secu-lare pertineat, an ad Ecclesiasticum? Apud protestantes haud dubie ad judices causarum civilium pertinebit. (v) Apud Pontificios quæstionem hanc foro Ecclesiastico vindicari debere, nec causam video, nec, qui eam huic foro diserte vindicet, deprehendi, (x) et si judices causarum ci-

*Ad forum ei-vile, non Ec-clesiasticum
pertinere
hanc contro-versiam.*

vilium in sententiis secundum doctrinam nostram ferendis, caute processisse, & cum protestatione quasi addita, ne irritarent Clerum Pontificium, talium spectrorum autorem præcipuum, (y) observaverim. (z)

(u) B. Strykius in *Us. Moderno Pand. ad sit. locati cond. §. ult. in fine.* Hoc fere ridiculum est, quod questionem hanc de spectris & nocturnis illusionibus, non ad judicem Laicum, sed Ecclesiasticum perire velint Papon, de arrest. regn. Gall. lib. 10. tit. 3. arrest. 10. Pacion. de locat. conduct. c. 61. n. 12. nisi forte hoc ad Exorcisationes spectrorum referre vetus. Haec vero cum in Ecclesiis nostris non sint in usu, adhuc magis ridiculum est, si quis apud nos hanc questionem ad forum Ecclesiasticum trahere vellet.

(x) Nam video, quod Papponius d.l. arrest. 9. ista quidem verba adhibeat: *La mesme Cour (de Paris & celle de Bourdeaux n'ont voulu de puis ainsi juger d'autant, que la question appartient à la religion.* Sed cum se referat ad Choppinum, sensus horum verborum ex hoc autore erit inquirendus. Ita vero Choppinus de *Sacra Politia lib. 3. tit. 7. n. 12. p. 792. Causam demum publice ad statam Patres Consilii esse pronuntiarunt, in quilino interim locationi stare condemnato &c.* Ex hoc autem Curie decreto observanda civilis Politie prudens cum Religione consensio, ac velut consociatio Reipublicæ salutaris. Istic enim senatus merito suspendit ea de re judicium, ad sacram disciplinam pertinente, ne quid ex iis forte novaretur, que Ecclesiastice sunt professionis & cognitionis. Politicum vero private controversie caput, quod in temporaria ædium locatione possum erat, à Patribus definitum est, civilem hominum inter ipsos societatem mutuis commerciis deviniendam ac retinendam. Scilicet separandæ hic sunt duæ questiones.

stiones. Una, an apparitiones spectrorum vere existant, an saltem sint vanæ imaginationes conductorum? Posterior affirmaverat Choppinus locatorum partes sustinens, prius advocatus conductoris. Hanc quæstiōnem definire noluit Senatus Parisiensis, tanquam quæ pertineret ad forum Ecclesiasticum. Altera, an proper metum spectrorum, conductor possit recedere a contractus quam contra conductorem definitivit Magistratus Politicus.

(c) *Vide supra dicta §. 4. lit. i.*

(z) *Vide modo notata lit. x.* Quamvis, si verum fateri velim, hæc protestatio non multum profit Clero Pontificio, cum plane sit facto contraria. Dixit senatus, se decisionem controversiæ an veræ sint apparitiones spectrorum, relinquere judicio Cleri, & tamen pronuntiavit, quod conductor debeat servare contractam: id est, quod eius metus spectrorum sit pro vano habendus. Non poterat autem pro vano haberi, si apparitiones spectrorum ædes infestantium, veras esse judicasset senatus.

§. XXV.

Quod itaque ipsum usum fori attinet, constat in locis eidem, ubi Pontifícia religio viget, a Judicibus superstitionis, & fabulis Cleri Pontificii nimis additiss, aliquando pro conductoribus esse pronuntiatum. (a)

Apud Pontificies aliquando pro conductoribus pronuntiatum.

(a) Huc pertinet exemplum, cajus Dionysius Gothofredus meminit *supra th. 18. lit. y.* Item aliud, a quo provocavit locator ad Senatum Parisiensem, ubi Turonum Proprætor Anno 1575. dissolvi conductionem decrevit, quod refert Choppinus *d.l. n.p. 784.* Ita Didacus Covarruvias *variar. resol. l. 4. c. 6.* semel atque iterum ita judicatum esse in Prætorio Granateni refert,

F

fert. Quod in Hispania eo minus mirandum, ubi Clerus maiore potentia praeditus est, quam in aliis regnis religioni Pontificie addicitis.

*Aliquando
contra eos.*

§. XXVI.

Contra in aliis locis, ubi Magistratus Politicus istas vanas doctrinas Cleri, de apparitionibus animarum, ad pias fraudes pertinere sensit, sc̄pius adversus conductores, ut illis sine pr̄statione pensionis, a contractu locationis recedere non liceret, sententiam dixit (b).

(b) Huc refer exemplum jam ex Choppino ad §. 24. lit. x. adductum. Item alia, quorum meminit Paponius d. l. 10. arresto 9. Par arrest du parlement de Bordeaux prononcé en robes rouges par M. le President de Néemon le 29. Mars 1595, que le mesme Coron rapport livré 8. de ses Responf. chap. 232. & apres tuy Peleus rapporte du 20. Mars la forme, qu'il a esté prononc̄ en ses Questions illustres chapitr. 150. Au proces mis par devant le Senechal de Guyenne, ou son Lieutenamt entre Robert de Vigne, propriétaire de certaine maison sis à Bordeaux, appellante, & Jean le Tapy locataire intime, la cour mis l'appellation & ce, dont avoit appellé au neant, & cependant deputa commissaires pour se transporter sur les lieux, & visiter la maison tant de l' intime, que des voisins, pour estre juges oculaires du fait de la cause: la Cour n'adjoustant facilement foy à tels sp̄c̄iales illusions pretendues, ainsi, qu'a remarqué auparavant longuement le docte Arnoldus Ferrius, Conseiller en ce parlement, en son Commentaire sur le Coustume de Bordeaux tir. de locato §. 3. &c. Tertium exemplum pr̄b̄et Lucianus Svavis (Lucien Soefve

Soefve) dans le nouveau recueil des plusieurs questions notables cent. 2. chap. 32. ubi refert, in simili causa judicatum fuisse in supremo Parlamento Parisiensi, contra conductorem, in primis cum solæ scemina a conductorre producētæ essent ad probandam spectrorum apparitionem, quæ deposuerant, lectes & stragulas ipsis fuisse nocte per vim invisibilem ablatas, cibariaque remota, massas quasi igneas in ædibus huc illuc voluntatas, tigna ex superiori domus parte deiecta; sensisse etiam fe circa ventriculi regionem ita comprimi, ut vix spiritum ducere potuerint. Quæ omnia vel a naturalibus causis, vel hominum illudentium artibus orta esse poterant. Accedebat, quod spectrum a nomine visum esset, aut plagas hominibus inflixisset, vel aliud dannum dedisset. Vid. Dn. Präsid. in addit. nov. ad Huber. prælect. ad tit. Inst. de locat. cond. p. 304.

S. XXVII.

Apud Protestantes, et si non pauci JCTorum in commentariis juris doctrine nostræ contradictant, non tamen facile occurret exemplum sententiæ, pro conductoribus latæ, quia videlicet castis' de spectris ædes in festantibus, non obveniunt in usu forensi, ob rationes supra adductas. (c)

(c) Supra §. 15. lit. n.

S. XXIX.

Possimus tamen adducere exemplum, ubi secundum sententiam nostram metus spectrorum pro vano fuit declaratus, & conductoribus silentium impositum atque diligenter in autores fictarum apparitionum inquisitum. (d)

F 2

(d) Con-

*Apud Prote-
stantes ipsa
quaestio raris-
sime in foro
venitatur.*

(d) Conductor quidem Berolini ædes locatoris spectris infestari assertebat, & eum in finem producebat testes domesticos. Locator excipiebat, id fieri per calumniam, & ad fraudem detegendam obtinebat, ut autoritate publica militibus custodia ædium nocturna committeretur, qui cum per aliquor noctes excubias egissent, & nihil insoliti animadvertisserent, locator urgebat, ut conductor ipsi ob dissimilares ædes satisfaceret, & ancillam conductoris, a qua dissimilatio illa ortum duxerat, carcere mancipari curabat. Cum vero hanc ad juratam purgationem, an vera an falsa depositisset, admittere non videretur esse consultum, ob metum perjurii, sequenti modo a Jctis Hellenibus Anno 1709, pronuntiatum fuit mense Aprili. Dass S. B. durch zween Prediger des Orts vor Gerichte beweglich zu zureden, die Wahrheit nicht zu verheelen, und sie dann ernstlich zu besfragen, ob dasjenige was sie ausgesagt, nicht von ihr erdichtet, oder von andern, und von wem dass sie solches vorgeben sollte, ihr an die Hand gegeben sei; auch zu was Ende solches geschehen? Und ergehet sodann ihrer Person halber oder sonst in der Sache ferner was recht ist. So viel E. E. betrifft, nachdem die von ihm geschehene Vrakation des L. Hauses in actis gnusam bewiesen worden, so wird ihm gestalten Sachen nach ein ewiges Stillschweigen auferlegt, und ist er hiernächst über die act. n. 20. ad art. 5. von denen Zeugen gemeldete ärgerliche Reden zu vernehmen, und mit seiner Nothdurft deswegen zu hören, worauf so dann auch seiner Bestrafung halber oder sonst ergehet was sich zu Recht gebübret. Et inox eod. anno mense Junio. Dass wider S. B. weiter nichts vorzunehmen, sondern sie gegen Leistung des gewöhnlichen Urphedens nunmehr der gefänglichen Hass wieder zu erlassen. So viel E. E. betrifft, ist selliger seines

nes Einwendens ungeachtet, auf die n. 37. specificirten
Umstände mit Categorischer Antwort sub pena confessi
& convicti, sich einzulassen, schuldig.

COROLLARIUM.

FAutores spectrorum elegantem cautelam suppedant judicibus, ne facile credant testibus super delictis ab aliis commissis, vel super indicis dependentibus. Ita enim Lavaterus *Part. I. cap. 19. p. 86.* Audivi ex viro gravi ac prudente, ditionis Tigurina praefecto, qui asseverabat, se aestate summo mane cum servo suo iter facientem per pascua, vidisse quendam sibi optimè notum, qui equæ fæse nefarie commisceret. Se obstupesfactus reflexisse iter, pulsavisse ædes illius, quem putabant se viduisse, atque certo compoperisse, quod ille cubiculo suo nunquam egressus esset. Et nisi omnia diligenter explorasset, bonus & honestus vir in carcерem detrusus & tormentis subjectus fuisset. Hanc historiam ideo recito, ut JUDICES in hujusmodi casibus CAUTI sint. Diabolus enim bac via sèpe innocentibus insidiatur. Uxor Henrici secundi Imperatoris, Chunegunda, suspecta fuit de adulterio, rumoresque sparsi, quod nobili quadam juvene in aulâ nimis familiariter userebatur. Diabolica enim illius juvenis species è cubiculo Augustæ egrediens, sèpe conspecta fuit. Illa posse à calcando ignitos vomeres, absque ullo pedum detrimento, suam innocentiam declaravit. Quid ego de istis historiolis sentiam, ex disputatione facile patebit. Non tamen suaderem judici, ut hodie ejusmodi cautelam pro ratione decidendi offerat, etiam apud Pontificios, nec Advocato, ut in ea

ea fundamentum ponat defendendorum inquisitorum,
nisi hi forte æquè faventes Judices habeant, uti Chune-
gunda imperatrix. Nam probatio quidem innocentiae
per ignitos vomeres, hodiè, etiam apud Pontifi-
cios, cautelam illam non adju-
vabit.

FINIS.



50 De uuu prau. auj. m. 1200. 1200. 1200. 1200.



Halle, Diss., 1711 T-2

ULB Halle
005 387 418

3



Sb

B. 18. num. 54. p. N. 41. 29.

Q. F. F. S.
INAUGURALIS JURIDICA,
DE
RESCIN-
CONTRACTU
IONIS OB METUM
CTRORUM,

QUAM
MAGNIFICENTISSIMO,
PRINCIPĒ AC DOMINO,
PPO WILHELMO,
Æ, MARCHIONE BRANDEN-
CAT. MAGDEB. GUBERNATORE,
&c. &c.

PRÆSIDE
IANO THOMASIO,
TESTATIS BORUSSIÆ CONSILIA-
SITATIS FRIDERICIANÆ DIRECTO-
IMARIO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDI-
NO, ET h. t. DECANO,


LICENTIA

QUE JURE HONORES OBTINENDI,
MA FRIDERICIANA,
UDITORIO Majori
eridianis d. 10. April. MDCCXI.
uditorum examini submittit

IANUEL HAMILTON,
POMERANUS.

ALÆ MAGDEBURGICÆ,
I. HENCKELLI. Acad. Typogr. 1725.

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE



Blue

Farbkarte #13

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.